

B
(Voir p. 247).

LETTRE D'INNOCENT III. (VII. 45.)

(Persuadetur ut treugas ineat cum Comite Tripolitano)

Illustri regi Armeniæ,

Super discordia quæ de principatu Antiocheno inter Te occasione Nepotis Tui et Comitem Tripolitanum, peccatis exigentibus, est suborta, vehementissime contristamur; verentes ne adhuc de ipsa proveniat grave rerum dispendium, multa corporum strages, et ingens periculum animarum, quodque non leviter est timendum, a perfidis Saracenis nobilis Antiochia occupetur, in tuam non solum et suam, verum etiam totius Christianitatis injuriam et jacturam. Quantumlibet autem partem tuam justificare nitaris, sicut per litteras tuas et dilectos filios Tarsensem electum et... fratrem Hospitalis Teutonicorum nobis suggerere studuisti, videtur tamen viris prudentibus tam in divino quam in humano jure peritis tua in hoc petitio minus justa, quod postulas ante litis ingressum absque judicio nepoti tuo restitui Antiochiam vel apud alium sequestrari, cum etsi alterutrum fuerit faciendum, cognitione habita in judicio per sententiam debeat diffiniri, eo quod cum prædictus Comes ipsius civitatis possessionem obtineat, absque judicio non debeat illa destitui secundum leges et consuetudines approbatas. In hoc etiam tua videtur intentio minus recta, quod super eodem negotio et justitiam tibi postulas exhiberi et violentiam non desinis exercere, cum simul non sit et armis et legibus contendendum. Hæc autem, Fili charissime, sententiando non dicimus, sed multorum sententias referendo, ut intelligas quam benigne curaverimus te tractare, cum te hactenus ab impugnatione Antiochiæ non cessante, ad tuam petitionem jam tertio causam istam diversis iudicibus duxerimus committendam, qui semper tibi secundum juris ordinem obtulerunt justitiam exhibere. Unde præfatus Comes de nobis conqueritur pro eo quod te per censuram ecclesiasticam non compellimus ab ejus impugnatione cessare, cum ipse paratus sit secundum ordinem juris subire iudicium, et tu nolis. Multiplici tamen necessitate pensata, ita duximus providendum, ut dictum Comitem precibus, monitis et consiliis efficaciter inducamus quatenus venerabili fratri nostro patriarchæ Antiocheno, viro utique honesto, provido, et fideli, neutri parti de